



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. Ejus assertionis ratio ac sensus exponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

*semper afficiunt, signumq; victoria quo redempti sunt, mundumq; vicerunt, habere se praeculis ineffabiliter gratulantur. Propterea & Salvatoris sui jugiter laudes alternant, eiq; semper gratias referentes, in illa perpetua jucunditatis amenitate tripudiant. Haec omnia B. Petrus Damiani.*

## CAPUT XIII.

*Iugem ac devotam patientis Christi memoriam, esse magnum signum Divinae praedestinationis.*

### §. I.

*Ejus assertionis ratio ac sensus exponitur.*

**P**ermagna vis in hoc argumento ac momenti plurimum positum est. Nam veluti ijs qui erga Christi passionem pie se affectos sentiant, non mediocri solatio; ita cuivis animae de sua salute sollicitae, ad idem studium suscipiendū acri incitamento fuerit; si illud persuaserimus: Christi passioni addictum devotumq; animum, notam esse electorum propriam, & non obscurum indicium divinae ad salutem praedestinationis.

Cujus quidem rei nobis umbra quaedam atque figura proponitur Ezechielis nono capite; ubi **DEVS** offensus populi sui sceleribus, disperdere volens ac delere Jerusalem, praecipit Angelo, ut transiret per mediam civitatem, praecedens ultrices aliorum Angelorum dexteras, & signaret *Thau* super frontes gementium, & dolentium super cunctis abominationibus quae sunt in medio ejus: nimirum ut eo insigni ac notā discreti à cæteris, immunes essent communis vindictae, nec cædis discrimine implicarentur.

Ut autem observat in eum locum S. Hieronymus: *Antiquis*

L 3,

*Antiquis*

tiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie (inquit) Samaritæ utuntur, extrema Tau crucis habet similitudinem: quod videlicet hæc Hebræorum littera, eâ olim figurâ efformaretur, quâ etiamnum majuscula T apud Græcos & Latinos, aut (ut ex nummis veteribus aliquot colligunt alij) ad modum crucis decussatæ. Unde etiam Syri codices apud Ezechielem pro Thau legunt, *Signa crucem in frontibus gentium*; ut Interpretes passim advertunt. Nec desunt, qui ad hoc Ezechielis visum, unaq; Joannis Apocalypsim cap. 7. respicientes, opinentur in die judicij, signum crucis non tantum appariturum in cælo, sed etiam in frontibus eorum, quos DEVS ad salutem elegerit: quorum piâ (ut ipse appellat) meditationem, refert nec improbat noster Salmeron; & sequitur absolutè Cornelius Matth. 24. Denique S. Franciscum, signo Tau (velut amatorum crucis & electorum proprio) litteras suas consignare solitum, testatur S. Bonaventura, vitâ ejus extremâ. Itemq; expressius cap. 4. cum præmississet F. Pacificum, cum primùm ad S. Patrem accessit, vidisse magnum Thau in ejus fronte, quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu: *Hoc quippe signum (inquit) Vir Sanctus magno venebatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis quas dirigebat litterulis manu ipsius subscribebat: tanquam si omne ipsius studium foret, signare Thau, juxta dictum Propheticum, super frontes virorum gementium & dolentium, ad Christum veraciter converforum.* Ita ibi.

Ad extremum illud in rem nostram singulare est & mirabile, quod de S. Humberto Episcopo tradit autor vitæ S. Amandi apud Surium his verbis: *Angelo revelante, tam sibi quàm B. Amando, coronam in cælis præparatam cognovit; atque ad indicium rei certæ, eodem Angelo imprimente, signum crucis in vertice, osse, crucis in modum implicato, visibiliter usque ad mortem deportavit.* Ubi apertè vides, crucis figuram divini-

Tom. p. 31.  
ar. 40.

cap. 25.

divinitus exsculptam efformatamq; in Sancti vertice, velut notam ac signum divinæ prædestinationis.

Cui affine est, quod in pago Aquila, ditionis Luxemburgensis haud procul Treviris, asservatur ( ut ajunt ) vertex cranij S. Dionysij Areopagitæ; in cujus parte exteriori crux cernitur alba, cum reliquum cranium subnigrum sit, ipsâ etiam materiæ conditione & tanquam texturâ differens; quam credunt impressam à S. Paulo illum baptizante aut consecrante: de quo P. Petrus Halloix noster in Notis ad vitam S. Dionysij cap. 4.

Quæ tametsi eò præsertim pertinent; ut intelligatur, crucis ac mortis Christi efficacitas, cujus utique meritis discernantur electi à reprobis, & salventur quicumque salvantur: tamen ad hoc etiam valere possunt, ut dicamus, neque immeritò: Crucis signum inscriptum frontibus gementium, sive passionis ac mortis Christi memoriam menti ac cordi piorum altè impressam, esse characterem electorum, proprium, seu specialem notam divinæ prædestinationis. Quod quidem existimo communiter receptum apud eos, qui de signis divinæ prædestinationis tractarunt; & video pluribus disputatum, atque ex Scriptura & Patribus confirmatum à Julio Recupito, opusculo de eâ materiâ cap. 16.

Veruntamen ut ei assertioni lucis aliquid addam; obfero eam duplici ratione intelligi & explicari posse. Primum, ut hoc sensu dicatur passionis Christi memoria non vanum esse indicium æternæ salutis, quod attentè ac piè recogitata Christi passio, ita hominis mentem per se ipsa refrænet ac cohibeat, ut non faciliè admittat quidquam gravius, quo DEI ac Salvatoris sui, tam multa & tam indigna pro se passi, offensam incurrat: quemadmodum de jugi novissimorum memoria Ecclesiastici cap. 7. dicitur: eum in æternum non peccaturum, qui in omnibus operibus suis novissimorum suorum meminerit.

Atque

Mat. c. 22.

I. 6. in ep.  
Rom.

Heb: 12.

Atque in hunc sensum vim habet quod passim ex S. Augustino adfertur: *In omnibus non inveni tam efficax remedium quam vulnera Christi.* id est, quàm recursum ad Christi vulnera, per attentam & piam passionum ejus meditationem. Et quod etiam magis affirmatè Origenes: *Certum, inquit, est, quod ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis Christi, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut ipsam mortem Christi intentis oculis inspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia: sed continuò ad ejus presentiam, totus ille quem supra enumeravimus peccati & carnis fugatur exercitus.* Nimirum attentè in Christum suà causà passum ac crucifixum aspicienti, continuò succurrit & oboritur, illa apud S. Bernardum, animi seipsum indignantis & increpantis incusatio: *Adhuc ludam, & deludam lacrymas ejus?* Adhuc profundam & conculcabo divinum sanguinem? Adhuc addam super dolorem vulnerum ipsius?

Nec verò temere Hebræos hortatur Apostolus, ut Christi crucem ac passionem recogitent, sive (ut est in Græco) attentè & seriò cogitent, ut ne deficient animis suis adversus peccatum repugnantes.

Alio modo passionis Christi grata memoria dici potest argumentum esse divinæ prædestinationis; quòd non videatur passurus esse amantissimus Salvator, ut is malè pereat, maneatq; passionis suæ eternum exors, qui in ea piè recollenda ac meditanda constanter sese ac jugiter exercuerit. Itaque vel eum singulariter proteget, ne quam graviorem noxam incidat; vel si inciderit, permissurus non est ut moriatur absque pænitentia: quo modo in re simili, etiam à nonnullis Patrum dicitur, malè mori non posse, qui Sanctissimam Christi Matrem tenerè ac constanter amaverit, ejusq; gratiam, perpetuo aliquo ac statò cultu, sedulò demereri studuerit.

Quo

Quo etiam modo, opinor, explicandum erit, quod in vita Venerabilis Matris Annæ à S. Bartholomæo, dicitur ei insinuatam esse divinitus: quotidianam vel minimam de Christi passione cogitationem sufficere ad salutem. Quòd nimirum piè credi possit speciali cura ac protectione adfuturus Salvator ei, qui ex devoto atque constanti in passionem eius affectu aliquantum temporis quotidie in ea attentè recogitanda posuerit.

Et simili aliquà interpretatione molliendum erit, quod exaggeratè dicit Innocentius III. in quadam ad Christum precatione: *Scimus quod quacunque die vel hora passionis tuæ memoriam habuerimus, salvi erimus.* *Prec. 2. de pass. Chr.*

§. 2.

*Quanto ea res sit solatio Crucifixum amanti.*

EX his autem apparet, quantum hinc solatium capere, aut quantam salutis suæ spem ac fiduciam concipere possint, pij amatores IESU crucifixi. Quibus utique non non temere offeratur Angelica illa vox ac consolatio: *No- Matt. 28. lite timere vos: scio enim quod IESUM qui crucifixus est, quaritis: quasi nempe abjecto sollicito & anxio timore, de sua salute potiùs confidere oporteat, eos qui IESUM Crucifixum piè quarant, qui dolorum ejus assiduè meminerint, qui in ejus vulneribus libenter habitent, qui denique in apertâ divini lateris cavernâ tutum perfugium atque asylum inveniant, ipso etiam Christo aliquando dicente S. Mechtildi: Quare timeres tu, quæ cor meum in pignus æterni fœderis, & in L. I. c. 25. domum refugij sempiternamq; habitationem accepisti? De quibus fortassis rursum aliquid, cùm exercitia fiduciz atque amoris proponemus.*

Audi interim in hoc argumento piè exultantem S. Bonaventuram: *Non erit, inquit, qui contra me militari audeat,* *P. I. sim. c. 7.*

M

fi